

ratio de cæteris sacramentis, ut constat ex discursu Exod. et Levit., et ex Act. 16 et 21 non obscure colligitur, et ex omnibus supra tractatis; intelligendum autem est de viris, nam fœminæ non poterant circumcidi; pertinebant autem ad illum populum ratione originis et parentum, et hoc ipso erant capaces sacramentorum. E contrario vero omnes circumcisi tenebantur ad legem servandam, juxta illud Paul. ad Gal. 5: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Quod intelligendum est de his, qui utebantur circumcisione, quatenus erat professio illius legis; nam aliæ gentes, quæ tantum propter quandam imitationem Abrahamæ, vel consuetudinem circumcidebantur, non propterea tenebantur ad alia sacramenta illius legis suscipienda, ut de Ægyptiis, Moabitibus, et aliis notat Hieron., Jerem. 9, circa illa verba: *Visitabo super omnem, qui circumcisum habet præputium.* Igitur sacramenta vetera Judæis erant necessaria necessitate præcepti, ita enim in lege præcepta erant, aliis vero nationibus nullo modo erant necessaria, nisi ex suppositione, quod vellent circumcidi, et illam legem profiteri. Quamvis enim circumcisio non fuerit omnibus præcepta, sed tantum Abrahamæ et ejus familiæ, ac posteritati, ut patet Gen. 17, et iterum attingemus infra, q. 70, tamen omnibus nationibus fuit proposita, ut, si vellent, illa uti possent, et per illam legi subjici, ut constat cap. 12 Exodi, ubi exteris nationibus dabatur facultas comedendi de agno paschali, si vellent circumcidi, et Judith 14, Nachor circumcisis fuit, et populo annumeratus. Postquam legis professionem, sicut poterat aliquis uti sacramentis veteribus, ita etiam erant illi necessaria eo modo, quo dictum est.

ARTICULUS IV.

Utrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta (4, d. 1, q. 1, art. 2, q. 5. Et d. 2, art. 4, q. 1. Et 4 Cont., c. 57).

1. *Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod post Christum non debuerint esse aliqua sacramenta. Veniente enim veritate debet cessare figura. Sed gratia et veritas per Jesum Christum facta est, ut dicitur Joan. 1. Cum igitur sacramenta sint veritatis signa sive figuræ, videtur quod post Christi passionem sacramenta esse non debuerint.*

2. *Præterea, sacramenta in qui usdam ele-*

mentis consistunt, ut ex supra dictis patet (quæst. præc., art. 4 et 5). Sed Apostolus dicit Galat. 4: Cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes; nunc autem temporis plenitudine veniente, jam non sumus parvuli; ergo videtur, quod non debeamus Deo servire sub elementis hujus mundi, corporalibus sacramentis utendo.

3. *Præterea, apud Deum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, ut dicitur Jacob. 1. Sed hoc videtur ad quamdam mutationem divinæ voluntatis pertinere, quod alia sacramenta nunc hominibus exhibeat ad sanctificationem tempore gratiæ, et alia ante Christum. Ergo videtur, quod post Christum non debuerint alia sacramenta institui.*

Sed contra est, quod Augustinus dicit contra Faustum (lib. 19, c. 13, tom. 6), quod sacramenta veteris legis sunt ablata, quia impleta; et alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.

Respondeo dicendum, quod sicut antiqui Patres salvati sunt per fidem Christi venturi, ita et nos salvamur per fidem Christi jam nati et passi. Sunt autem sacramenta quædam signa protestantia fidem, qua homo justificatur. Oportet autem aliis signis significari futura, præterita seu præsentia. Ut enim Augustinus dicit 19 contra Faustum, eadem res aliter annunciatu faciendæ, aliter facta, sicut ipsa verba passurus et passus non similiter sonant. Et ideo oportet quædam alia sacramenta esse in nova lege, quibus significantur ea, quæ præcesserunt in Christo, præter sacramenta veteris legis, quibus prænunciabantur futura.

Ad 1 ergo dicendum, quod, sicut Dionysius dicit in 5 cap. Eccles. Hierar., status novæ legis medius est inter statum veteris legis, cujus figuræ implentur in nova lege, et inter statum gloriæ, in qua omnis nude et perfecte manifestabitur veritas; et ideo tunc nulla erunt sacramenta. Nunc autem quamdiu per speculum, et in ænigmate cognoscimus (ut dicitur 1 ad Corinth. 13) oportet nos per aliqua sensibilia signa in spiritualia devenire. Quod pertinet ad rationem sacramentorum.

Ad 2, dicendum, quod sacramenta veteris legis Apostolus vocat egena et infirma elementa, quia gratiam nec continebant, nec causabant. Et ideo utentes illis sacramentis, dicit Apostolus sub elementis mundi Deo servisse. Quia scilicet nihil aliud erant, quam elementa hujus mundi. Nostra autem sacramenta gra-

tiam continent et causant; et ideo non est de eis similis ratio.

Ad 3, dicendum, quod sicut paterfamilias non ex hoc habere monstratur mutabilem voluntatem, quod diversa præcepta familiæ suæ proponit pro temporum varietate, non eadem præcipiens hyeme et æstate, ita non ostenditur aliqua mutatio esse circa Deum, ex hoc, quod alia sacramenta instituit post Christi adventum, et alia tempore legis, quia illa fuerunt congrua gratiæ præsentialiter demonstrandæ.

DISPUTATIO VI.

DE INSTITUTIONE ET NECESSITATE SACRAMENTORUM LEGIS GRATIÆ.

Hæc disputatio brevissime a nobis expedienda est, quoniam hæc institutio multo commodius in singulis sacramentis explicabitur, et similiter uniuscujusque sacramenti necessitas et perfectio. De numero etiam horum sacramentorum novæ legis, quæ ad præsentem disputationem pertinere poterat, tractat D. Thomæ infra q. 65, et ideo, ne ordinem ejus invertamus, in commentariis illius questionis illam partem explicabimus. Hic vero ad doctrinæ complementum solum in genere tractabimus, an in lege gratiæ debuerint sacramenta institui, et quantum priora sacramenta perfectione superent.

SECTIO I.

Utrum in lege gratiæ fuerint sacramenta necessaria.

1. *Qui hæretici omnia sacramenta abjecerunt.* — Non defuerunt hæretici, qui omnia sacramenta legis gratiæ abjicerent, ut de Archonticis referunt Epiphanius hæres., 4, et Theodor., lib. 4 fabul., quamvis August. et Damascen. de hæreticis scribentes hunc taceant errorem. Eundem tribuit Gnosticis Iren., lib. 3, cap. 18, et Epiph., hæres. 34, circa fin. ubi eos Marchoseos vocat. Eundem tribuit Guido Carmel. Catharistis, qui diversi sunt a Catharis. Hi enim solam pœnitentiam, illi vero omnia sacramenta negabant, quos aliqui putant fuisse illos, quorum Augustinus meminit, hæres. 46, et a Manichæo dicitur originem duxisse, qui fuerunt anno Domini 279, sub Aureliano Imperat., et Felice I Pontif.; ita Prateol., verbo Catharistæ, et Castro verbo Sacramenta. Sanderus autem, lib. 7, de Visib. monar., hæres. 447, putat esse recentiores et

vixisse sub Alex. III, Feder. I Imperat., et damnatos esse in Concil. Lateran. sub Alex. III, 3 p., c. 27. Sed incertum est, quid horum verius sit; quia neque in dicto Concilio, neque apud August. fit mentio hujus erroris, quamvis Catharistæ ibi nominentur. Denique Joan. XXII, in Extravag. Sancta Romana, de Relig. domibus, refert hæreticos Fraticellos omnia Ecclesiastica sacramenta despexisse. Hujus hæresis nullum video apprens fundamentum in Scriptura aut Patribus; solum potest adduci congruentia, quia perfectioni legis gratiæ repugnare videtur, ut serviamus Deo sub elementis mundi hujus et sub umbris et figuris, nam veniente veritate cessant figuræ; veritas autem per Christum facta est, et ideo de veteribus ait Paulus, ad Hebr. 10, habuisse umbram futurorum, de nobis autem, habere ipsam imaginem rerum.

2. *In lege gratiæ sunt vera sacramenta.* — *Cur in hoc statu sacramenta esse debeant, variæ congruentiæ.* — Dicendum vero est primo in lege gratiæ esse instituta vera ac propria sacramenta. Est de fide definitum in Concil. Florent. et Trident., locis sæpe citatis; quamvis enim sub hac voce non constet certe, haberi hanc veritatem expressam in novo testamento, tamen res ipsa evidentissime continetur, ut ostensum est in superioribus, cum de nomine et ratione sacramenti tractando, eam ex variis testamenti locis collegimus, et idem probant Sanctorum testimonia ibi citata. Denique res est notior apud catholicos, quam ut probatione indigeat. Rationes vero seu congruentiæ hujus institutionis ex superioribus peti etiam possunt; nam omnes utilitates signorum sensibilium et sacramentorum, quæ proveniunt ex ipsa natura hominis, et modo cognitionis ejus, et connaturali modo colendi Deum, quasque diximus habere locum in statu innocentiae, multo magis illum habent in statu legis gratiæ. Primo, quia etiam in hoc statu debetur Deo cultus externus, quia ex ipsa lege naturæ proficiscitur, et gratia non destruit naturam, sed perficit. Secundo, quia in hoc statu Ecclesia visibilis, ex hominibus constans, est maxime una, et ideo maxime indiget signis sacris sensibilibus, quibus congregatur. Tertio, quia nunc in Ecclesia habet Christum Deum hominem, quem, ut caput suum veneratur, ejusque fidem profitetur, et ideo sicut ipse non tantum spiritu sed etiam corpore constat, ejusque passio et mysteria sensibilibus peracta sunt, ita oportet, ut ejus memoria sensibilibus signis renovetur, ut illo-

rum fides conservetur. Quarto, si considerare necessitatem ex parte naturæ lapsæ, utilissimum fuit in hoc statu institui sacramenta sensibilia, per quæ facilius homines peccatorum remissionem et gratiæ sanctificationem consequantur. Quinto, hinc augetur charitas in Christum et Deum, cujus misericordia, sapientia, potentia et liberalitas in his sacramentis multum ostenditur; quandoquidem in rebus facillimis nobis sanctificationem præparavit, et per easdem res corporeas, quibus utimur, spiritualem sanctificationem efficere voluit. Augetur etiam spes salutis consequendæ, dum nostra infirmitas ipsorum sacrificiorum efficacia juvatur; atque ita multo facilius fit salutis via. In quo tamen cavendus est hæreticorum error, qui in sacramentorum usu dicunt concipiendam esse absolutam fidem propriæ justitiæ; non enim hæc fides est, sed stultus error, quia sacramentorum efficacia dispositionem suscipientis requirit, vel saltem, ut obicem non ponat; et ideo, sicut non est certum hominem non ponere obicem (loquendo de adultis) ita non est de fide certum, per sacramenta sanctificari; satis vero est ad prædictum spei augmentum fides quædam quasi conditionalis, quod sacramenta, quantum in se est, propria virtute carere non possunt, ut Cyprianus dixit serm. de Cœna Domini, et ideo, si homo non ponat obicem, infallibiliter habebunt effectum. Unde oritur quædam moralis certitudo, quam Scotus dist. 4, q. 3, art. 4, vocavit certitudinem ut in plurimum, quia si homo non sit valde negligens, sed bona fide, quod in se est, faciat, non privabitur fructu sanctitatis, quod est magnum spei solatium. Aliunde vero in sacramentis quodammodo ostenditur divina justitia, et inepta hæreticorum fiducia retunditur; per institutionem enim sacramentorum ostensum est, non satis esse ad salutem re ipsa consequendam, quod Christus mortuus sit pro nobis, nisi fructus passionis ejus nobis applicetur; hoc enim fit per sacramentorum usum. Item ostensum est, necessarium esse homini, etiam in hoc statu, suam fragilitatem et indignitatem recognoscere, ut sicut abusus est sensibilibus creaturis in Dei injuriam, ita eis se submittat ad suam sanctificationem, et ad divinum cultum eis utatur. Tandem ex hac institutione maxime perficitur fides, tum extensive, quia plura mysteria de Christo et de divina potentia illi credenda proponuntur; tum etiam intensive, quia per ipsa sacramenta datur majus auxilium ad credendum, et per-

severandum in fide; tum denique in exteriori professione et cultu religioso, qui cæteris paribus per hæc sacramenta melius, et perfectius Deo exhibetur. Quæ omnia partim desumpta sunt ex Augustino, lib. 19 contra Faustum, cap. 11, et epist. 118, et ex Leon. Pap., serm. 4 Quadr.; Chrysost., hom. 83 in Matth., et ex Iren., lib. 4, cap. 32, et Damasc. lib. 4 de Fid., cap. 14; Hug. de S. Vict., lib. 4, de Sacram., p. 9, c. 3; D. Thoma, 3, cont. Gent., c. 49, et lib. 4, c. 56, ex quibus rationes alia peti possunt.

3. *Sacramentorum usus in hoc statu ad omnium salutem necessarius.* — Ad fundamentum contrarii erroris respondetur. — Dico secundo, usum sacramentorum esse in hoc tempore legis gratiæ ad omnium hominum salutem necessarium. Hæc assertio intelligenda est de necessitate quæ institutionem consequitur; nam ipsiusmet institutionis non potuit esse necessitas simpliciter, sed tantum utilitas quæ jam a nobis explicata est; et hoc sensu conclusio est de fide generaliter ac simpliciter intellecta, ut traditur in Tridentini Concilii sessione 7, canone 4; non enim est sensus, omnia vel singula sacramenta esse necessaria, sed absolute. Quomodo autem, aut in quibus sacramentis in particulari conclusio verum habeat, attingemus infra cum D. Thoma, q. 63, art. 4, latius vero in singulis sacramentis explicandum est. Nam est quædam necessitas, quæ dicitur mediæ, alia, quæ appellatur præcepti. Item, alia est necessitas respectu singulorum, alia est respectu totius communitatis. Unde quoddam sacramentum est necessarium omnibus necessitate mediæ et præcepti, ut baptismus; aliud vero eisdem modis necessarium est adultis tantum, qui post baptismum mortaliter peccaverunt, ut pœnitentia; aliud vero est necessarium singulis necessitate præcepti, ut Eucharistia; alia vero duo, scilicet confirmatio et extrema unctio, licet utilia sint, non constat tamen unde illis sit necessitas imposita etiam præcepti; reliqua vero duo sunt Ecclesiæ necessaria, quamvis non singulis personis, quæ omnia propriis locis sigillatim demonstranda sunt. Atque ita satis patet conclusio posita. Ratio vero ejus a priori sumenda est ex Christi voluntate et institutione; congruentiæ vero ex fine et effectu sacramentorum; fuit enim expediens institui ad conferendos aliquos effectus necessarios, vel maxime utiles ad salutem. Et inde factum est, ut interdum fuerit expediens institui tanquam causas ne-

cessarias, interdum vero præcipi propter majorem utilitatem, aut propter fidei professionem, vel propter Dei cultum et reverentiam. Ex quo patet solutio ad fundamentum contrarii erroris, nam licet veritas præcedentium umbrarum ac figurarum per Christum facta sit, et quoad hoc cessaverit necessitas sensibilibus signorum, tamen necessaria nobis est memoria præteritorum beneficiorum Dei, et fidei professio, et exterior cultus, et applicatio gratiæ et veritatis, quæ per Christum sufficienter facta est. Et ideo non est contra perfectionem legis novæ, quod signis sensibilibus utatur. Præsens enim Ecclesiæ status medius est inter statum legis veteris, et statum gloriæ, ut supra ex Dionysio retulimus; quia, licet jam habeamus Christum præsentem, et ejus merita exhibita, nondum tamen illo fruimur de facie ad faciem, neque omnem fructum passionis ejus consecuti sumus. Et ideo nobis necessaria sunt signa, quæ præsentem gratiam significant et futuram gloriam promittant. Et ideo uti hujusmodi signis, non est servire sub elementis mundi hujus, sed potius est, elementa ipsa ad nobilissimos effectus et usum perfectissimum elevare. Judæi enim dicebantur militare sub elementis mundi hujus. Nam multitudine cæremoniarum quasi premebantur et non juvabantur, quia illis gratiam non conferebant. Nostra vero sacramenta, et pauciora sunt, et faciliorem usum habent, et dum gratiam conferunt, nostram infirmitatem juvant. Ita fere respondet Augustinus, lib. 2, de Doctr. Christ., c. 6, et lib. 83 quæst., 9, et aliis locis infra citandis.

SECTIO II.

Utrum sacramenta novæ legis, antiqua sacramenta perfectione excellant.

4. *Hæretici novis vetera sacramenta præferunt, vel æquant.* — Hæretici hujus temporis ita sentiunt de nostris et veteribus sacramentis, ut vel æqualia ea faciant, vel certe nostra in inferiori ordine constituant. Tria enim possunt in sacramentis considerari, scilicet, ritus externus, significatio et efficientia gratiæ: efficientiam tam nostris, quam antiquis sacramentis denegant. Et ita in hoc paria illa faciunt, quia omnia æque sunt apta ad excitandam fidem; de quo errore questione sequenti dicemus. Rursus, quoad significationem, negare non possunt, quin nostra significant Christum et passionem ejus jam factam,

quæ vetera sacramenta significabant futura. Item etiam non negant per priora sacramenta significata esse nostra, non tamen e converso; unde ex hac parte fateantur necesse est, nostra sacramenta aliquo modo excedere, quanquam hic excessus magis in re significata, et in diversa habitudine seu statu ejus, quam in ipsis signis positus sit. Potest enim signum rei futuræ in ratione signi tam perfectum esse, sicut signum rei præsentis, si æque clare ac distincte illam significet, et præsertim, si res significata æque perfecta sit. Et in hoc videntur hæretici non agnoscere differentiam inter vetera sacramenta ac nostra, quia in utrisque negant esse necessarium verbum consecratorium, a quo maxime pendere videtur expressior et clarior significatio sacramenti. Utrisque vero adjungi poterat verbum concionatorium; ergo in hoc non est differentia. Denique, quod ad ritum attinet, si in esse rei seu actionis materialis consideretur, interdum poterant sacramenta vetera esse in hoc perfectiora, quam nostra. Agnus enim perfectior res est quam panis, et majus quid est carnem suam scindere, et sanguinem fundere in cultum Dei, et professionem fidei, quam aqua lavare; si vero considerentur secundum proportionem seu aptitudinem ad significandum, sic interdum potest esse æqualitas, ut in significatione, quæ fit per abluitionem aquæ. Interdum vero videntur excedere sacramenta vetera, quia vel erant magis durabilia, ut circumcisio, quæ imprimebat signum sensibile permanens, quod non facit baptismus; vel habebant quandam majorem proportionem, ut agnus interfectus ad significandum Christum pro nobis mortuum.

2. *Sacramenta nova veteribus præstant.* — Dicendum vero est, nostra sacramenta simpliciter et absolute esse perfectiora veteribus sacramentis; conclusio est de fide definita in Concil. Florent., et eandem videtur intendisse Trident. Concil., sess. 7, c. 2, cum anathema dicit in eum, qui dixerit novæ legis sacramenta ab antiquæ legis sacramentis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ et alii ritus externi. Eandem veritatem sæpissime docet Augustinus, præsertim 19 contra Faustum, c. 13, ubi quatuor excellentias nostrorum sacramentorum ponit, scilicet, quod sunt virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Epist. vero 118, c. 4, iis addit, quod sunt etiam significatione præstantissima. Similia possunt sumi ex eodem, ps. 73, in princ., et ps. 77, in princ.; et

Ambros., lib. 4 de Sacram., cap. 4 et 6. Et in genere probari potest, quia status legis gratiæ est perfectior, et ideo habet fidem magis explicitam, copiosior gratiam et facilitatem salutis viam; ergo etiam habere debuit sacramenta perfectiora, quibus et expressior fieret fidei professio, et Deo perfectior cultus redderetur, et hominibus major utilitas et facilitas ad consequendam salutem proveniret. Confirmatur, quia propter hanc causam sacrificium in nova lege fuit perfectissime institutum, quia ipsa lex et status ejus excellentior est, et ideo decet ut in eo reddatur Deo perfectissimus cultus; ergo eadem ratione debuerunt esse sacramenta perfectissima. Secundo, ut distinctius intelligatur et probetur conclusio, tribus modis possunt comparari sacramenta nova cum veteribus. Primo, generatim tantum, et hoc modo est multiplex excessus nostrorum sacramentorum, ut Augustinus supra indicavit, scilicet, quod nostra sunt faciliora, puriora et mundiora; quod expressius significant, saltem ratione verborum; quod sunt veluti exemplaria et prototypa veterum sacramentorum, quæ erant figuræ nostrorum; deinde quod illa tantum ad breve tempus data sint, nostra ut durent usque ad finem sæculi; quod illa per Moysen, hæc per Christum promulgata sint. Præter hæc autem tres sunt notandi excessus nostrorum sacramentorum, propter quos evidenter sunt ex genere suo perfectiora. Primus est, quia perfectissimum nostrorum sacramentorum infinite excedit quodecumque sacramentum vetus, quantumvis fingatur perfectum; ut est Eucharistia, quæ in se continet auctorem omnium sacramentorum comparando: ergo maximum ad maximum, nostra sacramenta evidenter excedunt, quod satis esset, ut ex suo genere dicerentur perfectiora. Secundus excessus est, quod nostra sacramenta non tantum significant, sed conferunt etiam gratiam, per virtutem, quam in se continent, quod in antiquis sacramentis non fiebat, ut postea latius dicturi sumus. Tertius est, quod in nostris sacramentis dantur et significantur nobilissimi effectus spirituales, qui non dabantur in sacramentis veteribus. Nostra enim præter gratiam sanctificantem, et ea dona, quæ ipsam consequuntur, spirituales characteres imprimunt, supernaturalem potestatem conferunt et specialia auxilia, qui effectus, licet non fiant eodem modo per singula sacramenta novæ legis, sufficiunt tamen ad demonstrandum hoc genus sacra-

mentorum perfectius esse. Secundo, comparare possumus singula sacramenta inter se, non unum cum omnibus conferendo, sed singula singulis cum quadam proportione, ut v. gr. comparando singula sacramenta legis novæ cum illis quibus in lege veteri vel naturæ respondent, ut v. gr. baptismum cum circumcissione vel remedio legis naturæ, Eucharistiam cum agno pascali, vel sacramento Melchisedech, et sic de aliis, atque hoc modo singula sacramenta nova manifeste superant in perfectione sacramenta antiqua, omnibus illis modis, quos Augustinus explicuit, ut patebit facile discurrenti per singula. Nam baptismus in ritu exteriori est facilius, universalior, decentior, quam circumcisio, et habet expressiorem fidei et spiritualis munditiæ significationem, et præterea habet nobiliores effectus, et altiori modo, ut postea dicemus. Atque idem est facile reperire in cæteris sacramentis, ne in re clara prolixiores simus. Præter hæc autem sunt in lege nova quædam sacramenta, quæ propter speciales aliquas perfectiones hujus status, non habuerunt in lege veteri alia etiam minus perfecta, quæ illis secundum aliquam proportionem responderent. Nec vero hinc fit, nostra sacramenta esse plura numero, quam illa, quia hæc potius est perfectio nostrorum sacramentorum, quod cum sint numero pauciora, complectuntur excellentiori modo omnia munera illorum sacramentorum, et quidquid in illis representabatur, et plura alia quæ in illis nullo modo continebantur; e contrario vero in illis propter suam imperfectionem multitudo caeremoniarum vel expiationum vix adumbrabit id, quod unum nostrum sacramentum poenitentiae perficit. Tertio, comparari possunt singula sacramenta nostra ad omnia sacramenta vetera absolute et simpliciter, et hoc modo etiam est verum, minimum nostrorum sacramentorum esse perfectius omnibus ac singulis sacramentis veteribus, tum quia in quolibet ex nostris sacramentis reperiuntur quamplures excellentiæ et perfectiones in prima comparatione numeratæ; tum maxime quia in quolibet ex nostris sacramentis est virtus ad causandam gratiam, et ita est significatio gratiæ præsentis ex vi ipsius sacramenti collatæ; et hæc perfectio est majoris momenti, quam omnia alia, quæ in quolibet antiquo sacramento considerari possit. Solum dubitari posset de sacramento instituto in remedium originalis peccati, quia in eo dabatur gratia, ut postea dicemus; tamen adhuc illud

sacramentum erat inferius, tum quia (ut opinor) minor gratia in illa dabatur ex virtute ipsius sacramenti; unde etiam fortasse non dabatur omnibus, sed solum pueris extreme indigentibus, ut postea tractabimus.

3. Ad hæreticos autem nihil oportet specialiter respondere; supponunt enim falsa fundamenta, quæ partim in superioribus rejecta sunt, ubi egimus de compositione nostrorum sacramentorum ex rebus et verbis, partim quæstione sequenti confutabuntur. Hic vero desiderari poterat, ut ipsa novæ legis sacramenta inter se conferremus; sed hoc, ut exacte fiat, omnium illorum cognitionem exactam supponit. Et ideo in discursu totius doctrinæ tractandum est. Aliquid vero attingemus cum D. Thoma, infra, quæst. 65, art. 2 et 3.

QUÆSTIO LXII.

DE PRINCIPALI EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST GRATIA, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectu sacramentorum. Et primo de effectu eorum principali, qui est gratia. Secundo, de effectu secundario, qui est character.

Circa primum quærentur sex.

1. Utrum sacramenta novæ legis sint causa gratiæ.
2. Utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum.
3. Utrum sacramenta contineant gratiam.
4. Utrum sit in eis aliqua virtus ad causandum gratiam.
5. Utrum talis virtus in sacramentis derivetur a passione Christi.
6. Utrum sacramenta veteris legis gratiam causarent.

ARTICULUS I.

Utrum sacramenta sint causa gratiæ (Inf. art. 6, et q. 64, art. 1. Et 3, d. 4, art. 3; et 4, d. 1, q. 1, et art. 4, q. 1, et art. 5, q. 1. Et 4 cont., c. 56 et 74, prin.; et Verit. q. 27, art. 4; et quodlib. 12, art. 15).

1. Ad primum, sic proceditur. Videtur, quod sacramenta non sint causa gratiæ. Non enim idem videtur esse signum et causa, eo quod ratio signi videtur magis effectui competere. Sed sacramentum est signum gratiæ. Non igitur est causa ejus.

2. Præterea, nullum corporale agere potest in rem spiritualement, eo quod agens honorabilius est patiente, ut Augustinus dicit 12 super Genes. ad litteram, c. 16. Sed subjectum gratiæ est mens hominis, quæ est res spiritualis. Non ergo sacramenta possunt gratiam causare.

3. Præterea, illud quod est proprium Dei, non debet alicui creaturæ attribui. Sed causare gratiam est proprium Dei, secundum illud Psalm. 83: Gratiam et gloriam dabit Dominus. Cum ergo sacramenta consistant in quibusdam verbis et rebus creatis, non videtur quod possint gratiam causare.

Sed contra est, quod Augustinus dicit supra Joan. (tract. 80, a med., t. 9), quod aqua baptismalis corpus tangit, et cor abluit. Sed cor non abluitur, nisi per gratiam. Ergo causat gratiam, et pari ratione alia Ecclesiæ sacramenta.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, sacramenta novæ legis per aliquem modum gratiam causare. Manifestum est enim, quod per sacramenta novæ legis homo Christo incorporatur; sicut de baptismo dicit Apostolus ad Galat. 3: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis; non autem efficitur homo membrum Christi, nisi per gratiam. Quidam tamen dicunt, quod non sunt causa gratiæ aliquid operando, sed quia Deus sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur. Et ponunt exemplum de illo, qui afferens denarium plumbeum, accipit centum libras ex Regis ordinatione, non quod denarius ille aliquid operetur ad habendum prædictæ pecuniæ quantitatem, sed hoc operatur sola voluntas Regis. Unde et Bernardus dicit in quodam serm. (serm. de Cœna Dom., ante med. illius): Sicut investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per anulum, sic divisiones gratiarum diversæ sunt traditæ sacramentis.

Sed si quis recte consideret, iste modus non transcendit rationem signi. Nam denarius plumbeus non est nisi quoddam signum regis ordinationis de hoc, quod pecunia recipiatur ab isto. Similiter liber est quoddam signum, quo designatur traditio canonicatus. Secundum hoc igitur, sacramenta novæ legis nihil plus essent, quam signa gratiæ, cum tamen ex multis Sanctorum auctoritatibus habeatur, quod sacramenta novæ legis non solum significant, sed causant gratiam.

Et ideo aliter dicendum, quod duplex est causa agens, principalis et instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suam